

ciunt aut accusant recentiores, sed potius, idque non sine zelo, & criminatione nostratum, excusant, suoque deinde suffragio, addito alio atque alio, vt opinantur, temperamento, comprobant. Potest illud luculento quodam exemplo demonstrari JOHANNIS CHRISTOPHORI BECKMANNI, in *Massonii Anatomia vniuersali triumphante, capitibus integris, XXX, XXXI, sqq.* Quid dicam de publicis eorundem scriptis, seu Confessionibus, quas in hoc quoque genere doctrinae loquendi ac scribendi modo, non mutant? Nam in his etiam asseritur, nunc *Christi praedestinatio ad mortem*, nunc *praedestinatio* hostium Christi, ad illa quae executi sunt in Christo, nunc prodendo, nunc damnando, nunc interficiendo. Conf. *Corpus & Syntagma Confessionum Fidei*, Genevæ edit. MDCCLIV, speciatimque *Confess. & Exposit. Simplicem, cap. XI, pag. 16, Gallicarum Eccles. Confess. §. X. pag. 79, Confess. Basileens. Art. I, pag. 5, sq. & passim alias.* Ex quibus apparet, serio rem ipsam, de qua quaeritur, nondum tractari, ab illis, qui videntur ex recentioribus scriptoribus Reformatis, in exponendo oraculo nostro proximius ad veram eius interpretationem accedere.

§. IX.

De Pontificiis iam supra monui, quod, nostro ex oraculo *praedestinationem Christi ad mortem*, demonstrari posse, contendant: Nunc etiam illud addo α) quod hanc *praedestinationem Christi*, non commode exponant, *per praecipuum moriendi*, de quo copiose tractat MART. BECANVS, in *Theolog. Scholast. Part. III, cap. XVI, q. X*, idque, vt *praecipuum proprie sic dictum* ex THOMA, *quaest. 47, Art. 2*, exponit, non animaduertens discrimen, quod intercedit inter *ἀεισμένην θελήν τῆ θεῶ*, æternum liberrimumque S. S. Trinitatis consilium, seu liberrimam Dei Patris voluntatem, inque hanc atque illud consensionem liberrimam, Filii Dei & Christi & inter *praecipuum moriendi*, praesertim, *proprie sic dictum*. Non hoc posterius, sed prius illud, ex nostro fuit oraculo, & ex Matth. VII, 21, XXVI, 45, Psalm. XL, 8, a Becano additis. β) Quod alias *τὴν πρόγνωσιν τῆ θεῶ*, cuius mentio iniicitur in nostro oraculo, male multi ex Scholasticis exponant,

nant,